

USR LOMBARDIA- CUSL (Consulta Universitaria di Studi Latini)
Certificazione delle Competenze della Lingua Latina 2018
LIVELLO B1

Claudio imperante, Caratacus, Britannorum dux, proelio victus, Romam ductus est ut insigne spectaculum populo praeberet. Itaque cum fratribus, uxore filiaque et aliis captivis coram populo ostentandus erat ac eo trahebatur, ubi in tribunali imperator adsidebat et praetoriae cohortes in armis circa adstabant.

01 Ceterorum preces degeneres fuere ex metu: at non Caratacus aut vultu demisso aut
02 verbis misericordiam requirens, ubi tribunali adstitit, in hunc modum locutus est.
03 «Si quanta nobilitas et fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum moderatio
04 fuisset, amicus potius in hanc urbem quam captus venissem, neque dedignatus
05 esses claris maioribus ortum, plurimis gentibus imperitantem foedere in pacem
06 accipere. Praesens sors mea ut mihi informis, sic tibi magnifica est. Habui equos,
07 viros, arma, opes: quid mirum si haec invitus amisi? Nam si vos omnibus
08 imperitare vultis, sequitur ut omnes servitutem accipiant? Si statim deditus
09 traherer, neque mea fortuna neque tua gloria inclaruisset; et supplicium mei
10 oblivio sequeretur: at si incolumem servaveris, aeternum exemplar clementiae
11 ero». Ad ea Caesar veniam ipsique et coniugi et fratribus tribuit. Atque illi
12 vinculis absoluti Agrippinam quoque, haud procul alio suggestu conspicuam,
13 iisdem quibus principem laudibus gratibusque venerati sunt. Novum sane et
14 moribus veterum insolitum, feminam signis Romanis praesidere: ipsa semet parti a
15 maioribus suis imperii sociam ferebat.